



# QUÆSTIO MEDICA

## EAQUE THERAPEUTICA,

PROPOSITA

AB ILLUSTRISSIMO VIRO,

D. D. JOANNE CHASTELAIN, Regis Consi-  
liario & Medico, nec-non in Almâ Monspeliensium Me-  
dicorum Academiâ Professore Regio dignissimo, &  
Decano plurimum venerando.

SUB HAC VERBORUM SERIE,

*An Catalepsi vena sectio;*

Quam, Deo favente, & auspice Deiparâ, propugnavit, in Au-  
gustissimo Monspeliensis fano, Die 9. mensis Septembris, ab  
horâ octavâ ad meridianam, anni 1713. JOANNES PETRUS GOUT  
Carcassonensis, Artium Liberalium Magister, & jam dudum  
Medicinæ Studiosus.

*Pro primâ Apollinari laureâ consequendâ.*

UT ab ipsâ definitione Theseos exordium desumamus, sit catalepsis  
sensuum omnium abolitio, quorundam, vel omnium imminutio ma-  
xima, in quibus partes motu voluntario privatæ, retinent situm, in quo  
sunt ingruente morbo, vel in quo ab adstantibus constituuntur: talem si  
naturaliter absque adminiculo servare possint. Hujus definitionis genus, &

differentia cuilibet in re medicâ vel mediocriter versatò, satis superque patent. De his igitur, idque postulante usu, in diagnosi.

Catalepsis alia est perfecta, alia imperfecta. Perfecta censetur illa, in quâ omnis sensus, & motus voluntarius abolentur. Imperfecta vero, in quâ omnes sensus, vel quidam duntaxat maxime imminuuntur.

Quò hujusce stupendi affectus causas facilius eravamo, annotandum ipsum melancholicis, & studiosis, ut variis authorum observationibus liquido constat, præ cæteris familiarem esse. Quando quidem principiata, ut loquuntur, naturam principiorum redolent; nullatenus dubii asserimus spirituosum laticem indolis esse crassæ, & elasticæ. Quâ suppositâ, si superis placeat, omnia phænomena catalepticos satis dilucide explicabimus.

Adest sensus omnis, & motus voluntarii privatio; non ex spirituum penuriâ, vel minori eorundem energiâ; cum partes maneat in eodem positu, in quo sunt ante morbi invasionem, aut in quo ab adstantibus collocantur, stabilesque positura, & tensio à copiâ, vel spirituum elatere potissimum, seu quo ad magnam partem dependeant.

Absit ut ad cosmetoris nostri sedis laxitatem recurramus. Quis vel credulis affectis persuadere potis est, peculiarium sensoriorum fibras prætermino-dum tendi, flacciditate sensorii communis villis? quid! spirituosus latex qui organis externis tonum tribuit, internis quoque, à quibus scaturit, non tribuet? quis quis ita sentit, nugæ agit. O æternæ veritatis patroni nos à nugivendis hypoteson fabricis defendite!

Abolentur omnis sensus ob nimiam fibrarum emporii tensionem, quâ fit ut tremores, quibus supremus opifex sensationes alligavit, nullatenus subire queant. Laudatæ fibræ plus æquo tenduntur, propter spirituum animalium crassitiam, & elatorem. Sensuum omnium imminutio ab eadem causâ remissius agente deducatur. Quorundam autem imminutio ab inæqualibus glandularum cerebri hiatus, elatere, & crassitudine spirituum, nec-non viarum, quibus ad hos potius quam ad illos emporii villos feruntur, amplitudine repetenda est. Commemoratam amplitudinem ex præviis animi contentionibus colligere est. In catalepsi perfectâ, in quâ nulla idea, nulla est voluntatis actio; ignoti enim nulla cupido, nullaque aversio. Extra hæc motus voluntarii abolitionis causam non quaerimus. In imperfectâ sufflaminatur motus, non quia spiritus voluntatis imperio, ut pote cui numquam sunt subditi, se se subtrahunt; Sed quia naturæ author non nisi rerum circumstantiis, & exigentiæ, decretorum suorum executionem accommodat. Motus quem voluntarium nuncupamus, inchoatur à deo. Verisimile non est spirituum determinationem, nullo obice factò, præcise ad voluntatis nutum mutari. Eadem leges mutationis motus quo ad sensibilia & insensibilia & statuendæ. Alii pro imaginationis fecunditate, ne dicam novitatis prurigine, alias comminiscantur. Nondum eo angustiarum redacti sumus, ut ubique nobis non constentibus, ad instar quorundam, qui ad probandum sensationes fieri in cerebello, nobis oscitanter obtrudunt, canem adempto cerebro, & sospite cerebello, membra contrahere igne admoto vel acu

adactâ. Non ne omnis contractio muscularis in meris automatis, quorum anima ex sacris paginis in sanguine consistit, mere mechanica est? non secus ac motus peristalticus, qui exhausto cruore fit in intestinis felium, datâ occasione à causâ extrinsecâ. Tantùm abest ut alicujus sensationis indicium sit.

Partes corporis servant situm, in quo sunt ante morbi invasionem, eo quod spiritus, pro nervorum amplitudine & angustia, jugiter musculis distribuuntur. E suo situ dimoventur, quod tantus non sit earum rigor, ut vinci non possit ab adstantibus. Situm, in quo reponuntur, conservant, propterea quod mediante motu ab adstantibus communicato, alii nervi magis, alii minus dehiscunt; atque illi majorem, hi minorem spirituum crassiorum & elasticorum penam admittunt. Rigor partium modo major, modo minor est; pro majori, vel minori crassitie, & elatere spirituum, & copulæ explosivæ. Nentiquam ad uberiores spirituum copiam, quæ meditabundis catalepsi obnoxiiis haud suppetit, confugiendum.

Nec omnis catalepsis ab extasi, seu nimia animi contentione deducenda est; si quidem quælibet, inter pocula & rixas, absque diuturnâ, & profundâ meditatione quandoque contingit. Non est tamen diffitendum extasim interdum huic affectui ausam præbere; nam majori animi attentione, juxta leges unionis, spiritus detinentur in cerebro, seu parcius ad partes affluunt; unde hæ flaccescunt, majoremque sanguinis motus quantitatem in se suscipiunt, incrassescit massa sanguinea, atque adeo spiritus, producendo catocno perfecto vel imperfecto, pares evadunt. Miretur nemo à cogitatione valde intensâ, omnem cogitationem evanescere.

Cur defixis oculis ægri objecta ipsis obversantia intueantur vel intueri videantur, impulsique motus progressivos eliciant, ex præmissis inferre est. Nemo anxius inquirat quamobrem pulsus & respiratio, parum aut nihil labefactentur. Motus illi necessitate mechanicâ perficiuntur.

Quod ad jugem cordis motum attinet, hunc in ipsius virtutem elasticam, in sanguinis quantitatem & impetum, nitrum aëreum & copulam alkalino-sulphuream jure merito refundimus.

Dum sese contrahunt fibræ musculorum inspirationi prospicientium; relaxantur, comprimuntur, & angustantur fibræ musculorum expirationi dicatorem: remissa illarum contractione, leves cohortes, agmine factio, in harum cellulas turmatim irruunt, atque commilitonis concursu, suos labores exanthlant. Hoc interim spatium, coarctatis villorum antagonistarum loculamentis, elongatisque nervis ad illa protensis, impigra spirituum cohors incassum in illa irrupere nititur; donec remittente pariter antagonistarum explosione horum resistantiam vicissim superent: sic alternis vicibus totum respirationis opus absolvitur.

Quæris quæ fiat ut cataleptici non fatigentur, etsi diu pedibus insistant vel motu locali exerceantur, impromptu ratio est, spirituum virtus copiarum supplet.

Catoche rixis, & poculis supervenit, ob tenuiorum sanguinis particularum dissipationem. Quisquis pleniori explicationi inhiat, haud difficili Marte, eam ex dictis exhaurire poterit.

Ad causas remotas reducantur ea omnia, quæ humores crassos, & vici-  
suppeditare apta nata sunt.

Procul exulet antiquorum congelatio ab intemperie figidâ, cum vel abs-  
que materiâ; tanta cerebri & nervorum congelatio, quantam illi admise-  
runt, cum vitâ consistere nequit.

Sylvius delboë fluida quædam in cerebro spiritibus vini, & urinæ analo-  
ga, quibus animales condensantur, absque fundamento somniavit. Eodem  
jure, quo ille, corruat spiritus senerti congelans, undecumque emanet.

Spirituum narcosis, quam fumo, & fuligine male feriat Chymici effin-  
xerunt, musculos potius relaxaret, quam intenderet.

Saturni filii in corpore nostro fodinas & furnos, in quibus spiritus sa-  
turni æmuli, ad condensandos animales, pararentur, perperam excogita-  
runt. Quæ comparatio microcosmi cum macrocosmo?

Diagnos. Catalepsis perfecta sensus omnis, & motus voluntarij aboli-  
tione omni Apoplexiæ & Epilepsiæ gravi. Imperfecta cum maxima sen-  
suum omnium imminutione caro, comati somnolento, Epilepsiæ levi, &  
eclysi simillimæ sunt. Alia vero per quorundam dumtaxat sensuum immi-  
nutionem cum paralisi convenit. Per hoc autem quod partes retineant situm  
in quo sunt invadente morbo, vel in quo ab adstantibus constituuntur, ab  
illis omnibus affectibus toto cælo discrepat.

Prognosis. Hic affectus summo periculo non vacat, si æger libitinam  
evadat, in Apoplexiam, Epilepsiam, vel maniam non raro incidit. Per-  
fecta plus periculi, quam imperfecta portendit. Utrâque senes, magis quam  
juvenes periclitantur. Quæ supervenit aliis morbis, quibus vires fatiscunt,  
vix ac ne vix quidem curationem admittit.

Curatio catalepsis, alia in paroxismo, alia extra paroxisum instituenda. In  
paroxismo inchoanda est à chlistere emolliente, purgante, ut viscera hu-  
mectentur, & Saburra primarum viarum, quæ depletis præsertim vasis san-  
guinem in ficere valet, ex parte eliminetur. Phlebotomia pro viribus, &  
necessitate celebranda, ut fibrarum cerebri, aliarumque partium tonus re-  
mittat, & præcaveantur graviores affectus; puta apoplexia & asphixia.  
Apertione jugularis sanguis à cerebro derivatur, majorque ejus quantitas  
ad partes capitis externas, quam ad illud defertur. Depletis sufficienter  
vasis emetica, cathartica mochlica, & emetico-cathartica, ad materies  
morbum foventes, à stomacho & intestinis excludendas, humoresque exa-  
gitandos, totumque corpus succutiendum propinanda. Extra paroxisum,  
humectantia, incidentia, attenuantia, & leviter resolventia præscribenda.  
Juscula igitur ex carne pullorum, vituli caprilli, aliâque variâ confecta,  
foliis borraginis, cichorii Sylvestris, Capillorum, veneris, asplenii, &  
pimpinellæ alterata apprime conveniunt. Idemdem enemata relaxantia,  
humectantia, & leviter evacuantia inserenda. Potionesque blandæ ex Sen-  
na, rheo, manna, aliisque non prætermittendæ. Ab aquis thermalibus,  
ut pote quæ nimis exsiccant, tanquam à cane, pejus & angue abhorren-  
dum. Aquarum acidularum usus multum commendatur. Item serum lactis

5

pomis redolentibus paratum, fumariâ alteratum, & albumine ovi clarifica-  
 tum. Balnea aquæ dulcis, ad relaxandum & humefaciendum primas te-  
 nent. In tantum curantur melancholici, in quantum humectantur, ex Hip.  
 In singulis balneis sorbendus est cyathus feri lactis, vel jusculum: si  
 hæc omnia non persanent ægrum, ut ex spontaneâ lassitudine, animi cor-  
 pore, vel hebetudine, duntinâ meditatione, & relapsu dignosci potest,  
 ad opiatam martialem, & purgantem deveniendum. Brodia quibus inco-  
 quatur aliquantulum nasturtii & bechabungæ, quæ herbæ Alkalinis vola-  
 tilibus refertæ sunt, sulphura sanguinis crassiora dissolvendo conducunt.

Suppressæ evacuationes hæmorrhoidum, vel catameniorum promovendæ  
 sunt. Sed cum Medici non solum naturæ contemplatores; verum etiam  
 imitatores esse debeant. Multiplicique experienciâ ratum sit, plures largâ  
 venæ sectione à proximo liberatos fuisse, & ætius author fide dignis-  
 simus, referat hæmorrhagiâ narium copiosâ juvenem catalepsi correptum  
 convaluisse. Ratioque ad præcavendum paroxysmum, venæ sectionem suas  
 deat: jure concludo.

*ERGO catalepsi venæ sectio.*

**DISPUTATURI.**

**PROFESSORES REGII.**

R. D. Franciscus Chicoyneau,

*Cancellarius.*

R. D. Joannes Chastelain, *Decanus.*

R. D. Joannes Bezac.

R. D. Petrus Chirac.

R. D. Petrus Magnol.

**PROFESSORES REGII.**

R. D. Antonius Deidier.

R. D. Petrus Rideux.

R. D. Antonius Magnol, *Patris*

*Coadjutor.*

R. D. Joannes Henricus Haguenot,

*Doctor Aggregatus.*

**DOCTORES ORDINARI.**

M. Eustachius Marcot. M. Antonius Fizes. M. Bartholomeus Pascal.

M. Ludovicus Fontaine, *Universitatis Consiliarius.*

*Has laborum suorum primitias, D. D. PETRO GOUT,*  
*Fratris suo Charissimo Vovet, dicat, & Consecrat JOANNES*  
**PETRUS GOUT.**

MONSPELII,

Apud HONORATUM PÉCH Regis, Universitatis, Cleri & Urbis

Typographum. 1713.

